



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Golonducha Mart. 11. Julii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

ex doctiina S. Bern. *Videntes Deum in omnibus creatu-  
ri, habentes eum in nobis ipsis, & quod ineffabiliter beati-  
us est, ipsam quoque SS. Trinitatem cognoscentes. Lauda  
Deum in creaturis, posside per gratiam, jungere illi  
per charitatem. Quid hoc bono melius? quid hac felicitate  
felicius? vivere Deo & vivere de Deo?* Ambr. de offic.

## S. GOLINDUCHA Mart.

11. Julii.

*Usq; in hanc horam & esurimus, &  
Sitimus, & nudi sumus, & Co-  
laphis cadimur. I. Cor. 4.*

**P**arcius multi coenarent, si cum GOLIN-  
DUCHA, nobili apud Persas Matrona. E-  
pulo assidebat illa, cum ecce tibi! dum alij  
gulam, ipsa Superis invitantibus oculos  
suos pascit. Tollit hos Coelo, & quæ Cæli-  
tes convivia actitent, spectat; poni Am-  
brosiam, misceri nectar videt, invidetque.  
Inde ad inferos demittit, & esurire micam,  
sitire guttam epulones, interque hos, pro  
dolor! etiam parentes suos advertit. Ipsa  
scilicet ad Christum, Christi que fidem se  
vertit. Succensuit conjux, sociamque thori  
ad Saporem Regem fide minimè maritali  
defert. Hic octo ipsos annos in carcerem,  
tum



tum quatuor menses in antrum compingit à dracone infessum. Cùm hoc etiam monstrum virtus domuisset, in infamem cellam abducitur; sed hinc à Tutelari Angelo educitur. Inde ad supplicium rapitur, sed ab hoc iterum eripitur: quòd tamen nimium quantum sanguinem pro Christo gestiret fundere, vulnus in jugulo, sed ab hujus cruore medicinam omnis id loci æger accipit. Hoc porrò monili superba GOLINDUCHA, cùm locos à viris Sanctis nobilitatos permultos adijisset, cœlo tandem se intulit, & inde ad Salutares epulas suas, etiam oculos Marianorum invitat. *Ex Menais & Theophylacto.*

MEDITATIO.

*De fame & siti Sanctorum & Impiorum.*

I. **S** GOLINDUCHA visis semel inter inferni Epulones quoad vixi non esuruii nisi Justitiam & pati pro Christo. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam quoniam ipsi saturabuntur: Mat. 5. justitiam, id est, Deo serviendi & placendi rationem. Sic esuriunt sancti, & nunquam non saturantur, quia semper inveniunt ut Deo serviant, & placeant. Sive manducant, sive bibant, sive aliud quid faciant: I. Cor. 10. Esuriit etiam & sitivit Christus, nimirum animas lucrandas. Alium habeo*



*habeo cibum manducare, quem vos nescitis. Quomodo esuris & sitis iustitiam? animas? & pati cum Christo?*

2. *Ehuriunt etiam & sitiunt pauperes. O si scires quis esset qui dicit ad te da mihi bibere dares illi utiq<sup>3</sup>, dixit ad samaritanam sitiens Jesus. Iob. 4. Benignior esses in pauperes si crederes Christum in pauperibus elemosynam suã sitire & esurire. Venite benedicti Patris mei esurivi enim, & dedistis mihi manducare. Quoties epularis? saltem ante fores tuas jacenti & famenti Lazaro da cadentes micas de superfluis.*

3. *Sitient etiam & esurient in Inferno damnati, nec dabitur illis nisi, Deut. 32. uva fellis & botri amarissimi, fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Sic torquebuntur fame impii, pro eo quod sitierunt Sanguinem, vindictam & cladem proximi; &c.*

## S. JOAN. GUALBERTUS A B B A S.

12. Iulii.

*Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet vobis pater vester cœlestis peccata vestra. Matt. cap. 6.*

**E**N vatem, en pauperum Patrem, en Ascetarum Magistrum, miris multis, maximisque illustrem! Nosse vis unde illi artes